qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano perambulaverunt uſque ad Phenicem, & Cyprum, & Antiochiam. Ubi tanta fuit fidelium multitudo, quod ibi primi dicti ſunt *Chriſtiani.* Ibidem n.26.& ad hos ſcribunt ſuas epiſtolas Petrus epiſt.1. cap.1.n.1. *Electis advenis diſperſionis Ponti Galaciæ, Cappadociæ,* &c. Et Iacobus in ſua Canonica c.1.n.2. *Duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem.*

1.Petr. Iacob. 1.

15. Ex his, qui fuerunt diſperſi, aliqui Iudæi venerunt in Hiſpaniam, ut teſtatur Lucius Dexter, qui floruit tempore D.Hieron. in ſuo Chronico anno Chriſti 35. qui Iudæi ad converſionem Hiſpaniarum vocarunt ad ſe Apoſtolos, & anno Chriſti 37. qui fuit tertius ab ejus Aſcenſione ſic ſcribit Dexter: *Iacobus Apoſtolus Zebedæi filius peragratis urbibus Hiſpaniæ, multiſque erectis Eccleſiis, & Epiſcopis creatis ex advenis Petrum Brachara reliquit Epiſcopum; ac primum oratorium B.Virgini ejus juſſu, præſentiaque ſuper columnam Cæſaris Auguſti erexit.*

Dexter. *Iacobus in Hiſpania.*

16. Luitprandus, ſeu Eutrandius, in tractatu illuſtriſſimi ipſius nomine, qui vocatur: *Fragmenta* ex Bibliotheca Thom. Tamaio de Vargas Regis Philippi eruditiſſimi Hiſtorici, ex multis exemplaribus fide dignis ſic habet n.101. S.Elpidius, quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, Carmelita Monachus fuit, & in prima Petri concione cõverſus ad fidem, & n.171. ſic ſcribit: *Magna pars eorum qui diſperſi in perſecutione S. Stephani ad varias partes trajecerunt, & ad Hiſpaniam plurimi venerunt; erant ex Monachis montis Carmeli prædicationibus Chriſti, & Apoſtolorum ad fidem converſis, in quibus Elpidius, & ſocij Pontifices à S.Iacobo creati, & poſtea Martyres effecti.* Quod late multo, gravique Authorum pondere probat M. Lezana tom. 2. Annal. anno Chriſti 35. n. 6.

Luitpr. Tamai. S.Elpid. Lezana.

17. Ecce quantum bonum ex malis elicit Deus ex impugnatione Eccleſiæ ejus incrementum ut jam dixi ſupra c.4.q.2.n.18.& 19. omnes perſequuntur fideles Chriſti, & fiunt diſperſi per Orbem, ut Chriſti Evangelium in univerſo mundo prædicetur, ut ait Niſſen. hom. de S.Stephano, perſecutionem Stephani Evangelium in toto Orbe evulgaſſe D.Athanaſ. homil. de Semine ait: Diſperſi ſunt, *non quod imbecillitate diſſecti ſed fidei gratia ita diviſi eſſent.* Et cum Chriſtus D. præcepiſſet ſuis diſcipulis: *Si vos perſequentur in hac Civitate, fugite in aliam.* Matth. 10.n.23. Perbelle Tertull. lib.de Fuga c.6. ait: *Ideo illis fugere tunc præcepit, non propter eludendum periculum proprio nomine perſecutionis, ſed propter profectum annuntiationis.* Fuga conſulitur non tam pro conſervanda vita, quàm ut, quò abeant, homines inſtruant in fide, ac religione.

Niſſen. D.Atha. Math. 10. Tertull. *Fuga utilis ad fidẽ propagandã.*

18. Cum Deus valde ſollicitus de hominum ſalute, eſt veluti vigilans in mittendis prædicatoribus, & Doctoribus ad populum docendum, & illuminandum in fide; ſic Deus de ſuis Prophetis loquitur per Ierem. 26.n.5. *Quos ego miſi ad vos de nocte cõſurgens.* Et cap. 25.n.4. *Et conjungens diluculo, mittenſque.* Introducitur tamquam optimus, ac ſollicitus Paterfamilias valde mane conſurgens ad mittendos operarios. D.Hieron. ait: *Et quaſi in vigilis, atque excubijs conſtitutus ſurrexit diluculo, ut ſuum populum commoneret.*

Ierem. 27. Ierem. 25. *Feſtinat Deus ad hominũ ſalutem.* D. Hier.

19. Ex hoc fervore ſponſã evocat Deus de tugurio ad vineam excolendam Cant. 2. n.10. & ait: *Surge, propera amica mea, & veni.* Et iterum adurget n. 13. *Surge amica mea, & veni.* Quæ vox denotat ingentem Dei ardorẽ de hominum ſalute, & ideo repetita voce eam compellit, ut moras abjiciat, citoque veniat D.Bernard. ſerm 61. in Cant. ait: *Quod rurſum ad laborem vinearum ſollicitet dilectam, oſtendit, quàm ſit de animarum ſalute ſollicitus.*

Cant. 2. *Suos vult Deus ſollicitos de ſalute aliorum.* D.Bern.

QUÆSTIO III.

Quare D. Stephanus lapidatus à Iudæis, valdè honorificè ſepelitur.

20. D.Stephanus à malignis, ac perfidis Judæis lapidatus eſt tamquã blaſphemus, ac facinoroſus? cur ergo permittitur tam magnifico, ac pomposo funere ſepeliri? Ratio à priori eſt alta, & ſuprema Dei diſpoſitio, qui Sãctos ſuos in hac vita vult honorari.

21. Noſtra tamen conjectura; quia etſi lex præcipiebat iniquos lapidare, ac punire, non tamen prohibebat ſepeliri: Delinquentes etenim vivi puniendi ſunt mortui honorandi: Propheta ille, qui cõtra Dei mandatũ comedit in civitate, cum abiret, interfecit eum Leo in via eumque cuſtodivit ne ab aliis animalibus offenderetur, ſtans juxta cadaver; cumque hoc eſſet divulgatum, Propheta qui eum invitaverat accurrens: *Invenit cadaver ejus projectum in via, & aſinum, & leonem ſtantes juxta cadaver non comedit leo de cadavere, nec læſit aſinum*, 3.Reg.13. n.28. Leo optimus Dei miniſter vivum punivit inobedientem, ſeu mortuum honoravit cuſtodiens ad ſepulturã. D.Ambroſ. lib. de Tob. c.1. *Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detuliſſe produntur, & homines denegabunt.*

Criminoſi etſi vivi puniendi ſint, mortui honorandi. 3. Reg. 13. D. Ambr.

22. Secundo Stephanũ curaverunt, ac ſepelierunt viri timorati, quorum Dux, ac Princeps fuit Gamaliel, ut ipſi revelavit Luciano, qui id ipſũ ſcribit lib. de Invent. S.Stephani ei referens, quod aliqui Judæi commoti odio in S.Steph. ejus ſacrum corpus abjecerunt in agrum, ut à beſtiis, ac volucribus devoraretur; & hac de cauſa per unum diem, & noctem, Dei tamen providentia, ſemper intactũ humi jacuit; quod cum ſciret Gamaliel, ipſe cũ aliquibus piis fidelibus nocte ſepelivit quodam in agro ſuo, quod ex ſuo nomine dicebatur *Caphargamala* diſtans à Ieruſalem viginti milla paſſuum, ibique eum poſuit in ſuo monumento novo, facientes planctum 70. dierum ſuper eum.

Lucian. *Sepelitur Stephanus.*

23. Mortua Sara poſtulat Abraham à filiis Heth ad emendum ſpeluncam duplicem, quam ei gratis, ac liberaliter, ut notat Carthuſ. dabant; tamen *Abrahamus appendit pecuniam, quam Ephron poſtulaverat*, Gen. 23.n.16. oſtendens ſuam pietatem, ac generoſitatem faciens expenſas pro defunctis, eos honorans. D.Auguſt. lib. de Cura pro mortuis agenda c.9. ait: *Quod ipſi exhiberi volunt poſt mortem ſuam corporibus ſuis, quando ſenſuri non ſunt, aliis non ſentientibus, curam exhibent dum ipſi ſentiunt.* Vel emit illum Abrahamus ad ſepulchrum Saræ, quia omnes poſſeſſiones ſuas voluit nobilitare, cum in ſua poſſeſſione haberet ſepulchrum illuſtriſſimæ fœminæ, quod erat in magnum decus, munimen, ac protectionem omnium ſuorum.

Gen. 23. *Facere expenſas pro defunctis generoſũ.*

24. Tradunt Hebræi ad cap.8. Geneſis, quod Noe ingrediens in Arcã, ſecum aſportavit Adami oſſa; poſtea vero egrediens, illa oſſa diviſit inter filios, & nepotes, dans unicuique unum ex illis oſſibus, ut cuilibet eſſet pretioſus theſaurus ad magnã bonorum locupletationem, ad munimen omnium adverſitatum, ac cuſtodiam omnium periculorum. Præclare Abbas Theofridus ſerm. de Reliquiis ſic ait: *Has*, ſcilicet reliquias, *ſingulis Provinciarum, & Civitatum populis dedit Deus in ſolatium, ut dum importunis urgentur incurſibus hoſtium viſibilium, & inviſibilium per harum defendantur meritum*, quod latè proſequitur, quod ſicut Rex dum timet fortiora inimicorum agmina, ibi ponit majus, & fortius præſidium, ſic Cœleſtis Rex videns noſtrorum hoſtium vehementes inſultus ad magnum munimen dat nobis Sanctas Reliquias, & ſic concludit citatus Abbas. *Sic omnipotens Deus magnas Sanctorum Reliquias nobis accommodat, quatenus ab indigenis dignè, ac familiariter honorantur, iidem indigenæ earum perpetua defenſione firmentur.*

Hebræi. Theofr.

25. Exeuntes filii Iſrael de Ægypto maximè occupati erant accipientes ab Ægyptiis vaſa aurea, & argentea, aliaque pretioſa munera, ut valde locupletes egrederentur; at Moyſes nil de his rebus magni valoris curat, ſed tantum ſollicitus eſt, ut ſecum efferat oſſa Joſeph: *Tulitq; Moyſes oſſa Joſeph ſecum*, Ex. 13.n.19. Inter omnes divitias magnas Ægypti, nihil aliud ſcimus, quod Moyſes ſecũ aſportaverit; niſi oſſa Joſeph; quia illa, ut ampliſſimum theſaurum cæteris omnibus anteponebat, cùm in illis recognoſceret tutamen, ac munimen in adverſitatibus & ſecuritatem in periculis: Procop. ait: *Moyſes elegit viri juſti oſſa, quæ præfert immenſis Ægyptiorum theſauris.*

Exod. 13. *Oſſa juſti valde pretioſa, & ad munimen.* Procop.

QUÆSTIO IV.

Quare viri pij, ac devoti S. Stephanum ſepelierunt, & cum planctu magno.

26. VAlde Sanctum, piumque eſt ſepelire mortuos, quod maximè præſtant viri Sancti, pij, ac devoti, ad quod nos admonet præſens Text. *Curaverunt Stephanum viri timorati*, &, etiam Sanctus Tobias qui etiam contra Regis edictum mortuos ſepeliebat Tobiæ 1.n.22. in quo multum reſplenduit ejus charitas, ſiquidem cum mortis periculo pietatis officium deferret. Unde meritò ait D.Ambroſ. lib. de Tobia cap. 1. *Erat miſericordiæ pretium, mortis pœna, quæ non revocabatur, magiſque incitabatur.* Mortis pœna dedit magnum pretium, ac valorem ejus pietati, ac miſericordiæ, contempta morte mortuos ſepeliebat.

Pietas in ſepultura defunctorum. Tob. 1. D. Ambr.

27. Si enim multa obſequia vivis damus, non minora debemus mortuis exhibere, imò eorum miſeria nos debet ſummopere commovere, & excitare, de quo diſſerit eleganter D.Auguſt. de conſolat. mortuorum: *Jacet corpus exanime, & gelidum, homo ſine homine, cadaver ſine ſpiritu, nemo ſuorum adjuvat, neque ipſe ſibi auxilium poſtulare poteſt*; poſtulet ergo ipſa miſera conditio.

D.Aug.

28. Cum Iſmael appropinquaret ad mortẽ omnes ſui convenerunt ad illum, & ait Text. *Coram fratribus ſuis obiit*, Gen.25.n.18. Oleaſter legit: *Super faciem omnium fratrum ſuorum cecidit*; ac ſi mortuus eſt, ac eſſet præſens ante oculos, ac facies ſuorum fratrum ad ipſum venerandum, ac recolendum. Abulenſis ibi, ait: *Fratres ſui omnes venerunt ad mortem ſuam, ut eum honorarent*, ſicut cum videret Iſmael, eum fratres ſui multa reverentia proſequebantur, ſic, & mortuum, ac ſi vivus eſſet præſens.

Gen. 25. *Mortuus honorandus ſepulchro.* Oleaſter. Abulenſ.

29. Secundo *viri timorati*, viri religioſi, magni, & devoti; piorum, magnorumq; eſt mortuos ſepelire, adeo ut etiam Deus hoc munus ſibi adſcribere non dedignetur. Mortuo Moyſe dicitur Deuter. 34.n.6. *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini in terra Moab jubente Domino, & ſepelivit eum in valle terræ Moab, & non cognovit homo ſepulchrum ejus.* Communis eſt Patrum ſententia, quod Angeli ſepelierunt Moyſen, cur non dicitur Angelos hoc perſolviſſe; ſic & lex ſcribitur data per diſpoſitionem Angelorum, Act.7.n.54. Cur ergo etiam non refertur Moyſen ab Angelis ſepultum, ſed ab ipſo Deo? *Sepelivit eum Dominus*, ut notat Petrus Damian. ſerm. 2. & ait: *Sed quid eſt, quod Moyſis corpus, ipſe per ſe Dominus ſepelivit*, ut denotetur, quanta ſit celſitudo muneris ſepeliendi mortuos, ut ipſa ſuprema Dei majeſtas per ſe illud exſolvat, illiuſque opificem agnoſci velit, ad alia munia ad dandam nempe legem, ducendum populum publicentur Angeli, at ad ſepeliendum mortuum Deus ipſe adſtat, & ad ſuum ſervum maximè honorandum.

Deut. 34. Actor. 7. *Sepelire mortuos valde honorificum.* Damian.

30. Sed cur Moyſis corpus tanto honore ſublimatur à Deo, ut dicatur quod eum *Dominus ſepelivit.* Et Philo lib. de vita Moyſis ſcribit, quod in tam admirando ſepulchro ſepultus eſt, ut nullus hominũ fuerit dignus unquam illud conſpicere; unde illi tantus honos! Moyſes exiens de Ægypto aſportavit ſecum oſſa Joſeph, Exod. 13. ut dixi ſuperiori quæſt. eaque in tanta veneratione, ac cultu habuit, ut pretioſo aureo vaſe repoſuerit, ut teſtatur Theofridus Abbas ſerm. de Sanct. Reliquiis, & qui vivens tam magnifico ornatu mortuum honorificavit, alta divina Providentia correſpondente, ipſe moriens admirabili ſepulchro conditur, ad cujus præſentiam alia omnia diſparent, cum de nullo alio ſimile legatur: *Sepelivit eum Dominus.*

Philo. Exod. 13. Theod. *Honorificantes mortuos honorificantur à Deo.*

31. Poſtquam Magdalena cum fratribus ad Maſſiliam advenit perfunctoque Apoſtolico prædicandi munere, ſe recepit ad deſertum quoddam, ubi per triginta annos in orationibus, & lachrymis Angelicam degit vitam, eique apparens Michael Archangelus, dixitque Deum in primo rerum molimine illum condidiſſe locum propter ipſam, ut in eo videret, mortuaque ſepulchrum haberet, ut referunt Sylveſter Pereira in ejus vita: Cur Deo tanta ineſt cura de Magdelenæ ſepulchro cum primo conderet orbem? Magdalena venit ad ungendum corpus Domini ad ſepulturam, ut ipſe Dominus dixit: Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit, Matth. 26. n. 12. Si Magdalena ſedula, ac ſollicita fuit ad corpus Jeſu unguento venerandum, multo majori ſollicitudine anticipatè Deus vigilavit, ut ipſam perenni, ac perpetuo ſepulchro nobilitaret.

Sylveſt. *Magdalena curat de Chriſti ſepultura, ſic Deus de illa.* Matth. 26.

32. Tertio *Curaverunt Stephanum viri timorati.* Inter quos maximè eminentes fuerunt ſacri Apoſtoli, ut teſtantur Nicetas oratione de Inventione S. Stephani, D.Hieronym. epiſt. 53. ad Riparium cum Pſalmis, Hymnis, & accenſis cereis, ex quibus exiſtimat Baronius originem habuiſſe ritum funeris Chriſtianorum in ſepeliendis mortuis.

Funus Stephani. Nicetas. D. Hier.

33. *Fecerunt planctum magnum*, quod fiebat ad funeris pompam, & præ deſiderio abeuntis: Mortua Sara, ait Textus: *Venit Abraham, ut plangeret, & ferret eam*, Geneſ. 23.n.2. & repetita voce dicitur, ut plangeret, & fleret ad denotandam vehementiam doloris, & planctus, quod notans D.Paulinus ep. 37. ad Pamm. ait: *Pater fidei matrem vocationis noſtræ Saram flevit, non utique de fidentia recipiendæ, ſed progreſſæ deſiderio.* Et poſtea ſubdit: Scriptura divina producere nos lachrymas, quaſi evaporando dolore permittit.

Gen. 23. *Dolor lachrymis evaporatur.* D. Paul.

Act. 8. *n.* 5. Philippus autẽ deſcendens in Civitatẽ Samariæ prædicabat illis Chriſtũ.
Num. 6. Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur unanimiter audientes, & videntes ſigna, quæ faciebat.
N. 7. Multi enim eorũ, qui habebãt ſpiritus immũdos clamãtes voce magna exibant.
Num. 8. Multi autem paralytici, & claudi curati ſunt.

Verſiones

CUM EXPOSITIONE II.

Verſ. 5. P*Hilippus.* Non Apoſtolus, ut aliqui dixerunt, & dubitat Auguſt. tract. 6. in Joan. Nam Apoſtoli remanſerunt in Jeruſalem, & hic Samaritanis Spiritum ſanctum nõ potuit conferre, ad hoc enim miſſi fuerũt Petrus, & Joannes intra n. 4. Iſte Philip. inter Diaconos Stephani proximus. Act. 6.n.5. Tamẽ, ut ait Gloſſa, ejus in pietate, doctrina, zelo hæres. Hic Philip. licet Diaconus, quia tamen Chriſtum cum multo fervore, ac zelo evangelizabat, 24.

D. Aug. Actor. 6.

Tertull. D. Clem. D. Ambr. D. Aug. vocatus Apoſtolus à Tertull. lib. de Baptiſmo cap. 8. D. Clem. lib. 6. Cõſtit. c. 7. D. Ambroſ. lib. 9. in Lucam, D. Aug. lib. 1. de Doctr. Chriſti. in Procem. ſicut & ſimiliter Paulus, & Barnabas vocantur Apoſtoli.

35. *Samaria quæ ſit, & unde dicta.* *Deſcendens* nempe à Jeruſalem *in civitatem Samariam*; nam Jeruſalem erat in altiori loco, quam Samaria; Samaria Civitas principalis, ac Metropolis Provinciæ, quæ à tam illuſtri Civitate nomen accepit, dicitur Samaria; fuit Regni Iſrael, ac decem tribuum, interjacet inter Judæam, & Galilæam, diſtat a Jeruſalem ſexdecim leucis, ædificata eſt in monte *Someron*, à quo nomen habuit ſicut & mons à ſuo Domino, ac poſſeſſore Semer 3. Reg. 16. n. 24. qui illum montem emit; poſtea vero Herodes Aſcalonita eam reædificavit, amplificavit ſtructura murorum, domorum, ac Palatiorum, & in gratiam Cæſaris Auguſti eam Auguſtam nuncupavit. Ita Joſeph lib. 13. Antiquit. cap. 11. & 17. Hic verò in præſenti ſumitur pro Civitate. (3. Reg. 16. Ioſeph.)

36. *Prædicabat illis Chriſtum*; nam licet ipſe Dominus olim ſuis Apoſtolis præcepiſſet: *Ne in viam gentium abieritis, & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis*, Math. 10. n. 5. Cujus rei rationes dedi to. 3. cap. 7. q. 2. Ipſe tamen poſtea intravit, & eis prædicavit, Joan. 4. n. 40. & abiens in Cœlum eis mandavit, ut eum prædicarent, atque evangelizarent in Judæa, ac Samaria, Act. 1. n. 8. ideoque Samaritani fuerunt primi, qui poſt Judæos Chriſti fidem receperunt, & quia Samaritani erant valde affines Judæis, ideo ſæpe ſub Judæorum nomine veniunt, licet ab eis multis erroribus, ac diverſa religione, & regno eſſent diviſi. Philippus autem ad prædicandum miſſus eſt ab Apoſtolis, ut docet D. Cypr. ep. 73. ad Julian. (Math. 10. Joan. 4. Actor. 1. D. Cypr.)

37. Syriac. Verſ. 6. *Intendebant autem turbæ.* Syrus Regius: *Auſcultabant ei, & acquieſcebant*, quæ quidem verba indicant non ſolum eſſe audientes, ſed etiam credentes, ac recipientes doctrinam Philippi. Æthiopicus ſic legit: *Et populi manſerunt audientes ſermonem Dei.* Quæ verba denotant perſeverantiam in ipſa doctrina credita, & recepta, & advertit Beda, quod Samaritani fuerunt tam faciles, & prompti ad credendum, quia jam erant diſpoſiti verbis, ac ſermonibus Chriſti, ac mulieris Samaritanæ, Joan. 4. (Æthiop. Beda.)

38. Æthiop. *Vnanimiter* Æthiopicus: *Simul una anima* Charitas unionem, ac conformitatem generat. *Videntes ſigna, quæ faciebat.* Arabicus *videbant miracula*, non ſolum Apoſtoli, ſed etiam Diaconi, ut Stephanus, & Philippus faciebant ſigna, & miracula, Deus omnes ordines, ac hominum genera condecorat, ac illuſtrat: *Dividens ſingula ſingulis prout vult.* (Arabic.)

39. Syriac. Pagnin. Tigurin. Verſ. 7. *Multi autem eorum, qui habebant ſpiritus immundos.* Syriacus: *Multi, quos tenebant ſpiritus*, Pagninus, Tigurina: *Spiritus immundi è multis, vel multorum, qui illis tenebantur exibant* ab obſeſſis, & dicuntur multi, non omnes; quia non omnes erant digni, ac capaces, ut gratiâ miraculorum reciperent ſanitatem.

40. Math. 8. Marc. 3. Luc. 4. *Clamantes voce magna.* Eodem modo clamabant Dæmones cùm à Chriſto ejiciebantur, Math. 8. n. 29. Marc. 3. n. 11. & cap. 5. n. 7. Luc. 4. n. 41. Clamabant ex organis obſeſſorum, & formantes vocem, clamantes alta, & divina diſpoſitione, ut teſtificarent ſe invitos exire, coactos, ac compulſos ſuperiori Dei virtute, ut notat D. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſ. 7. & ait: *In eadem virtute Spiritus ſancti Philippus in nomine Chriſti in Civitate Samaria ejiciebat ſpiritus immundos magna voce clamantes.* (D. Cyril. Jeroſ.)

41. Syriac. Lyran. Verſ. 8. *Multi autem paralitici & claudi ſanati ſunt.* Syriacus: *Sanitati reſtituti ſunt.* Lyranus exiſtimat; quia talium ſanitas ſolum divina virtute fieri poteſt, & ideo exprimitur, ut ſignificetur hæc miracula à ſolo Deo facta eſſe, tamen non dubito, quod talium infirmitatum ſanitas à Dæmone fieri poſſet, applicando activa paſſivis per ſuam ſcientiam, quam habet, tamen cum hæc fiant per diſpoſitiones rerum naturalium requirunt tempus, ut ſenſim res diſponantur, à ſolo autem Deo hæc poſſunt fieri in inſtanti, ut latè dixi in opuſcul. 2. reſolut. 42. de miraculis.

Actor. 8. n. 9. Factum eſt ergo gaudium magnum in illa Civitate, vir autem quidam nomine Simon, qui antea fuerat magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum.

Num. 10. Cui auſcultabant omnes à minimo uſque ad maximum, dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna.

Num. 11. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis ſuis dementaſſet eos.

Num. 12. Cum verò credidiſſent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri, ac mulieres.

Num. 13. Tunc Simon ipſe credidit, & cum baptizatus eſſet adhærebat Philippo, videns etiam ſigna, & virtutes maximas fieri, ſtupens admirabatur.

Verſiones

CVM EXPOSITIONE VI.

Verſ. 9. F*Actum eſt ergo gaudium magnum.* propter beneficium ſanitatum, & maximè, & præcipuè propter lucem Evangelii, ac gratiam ſanctificationis receptam, ex qua verè gaudium reſultat. Vide tom. 4. cap. 26. 11. *Vir autem quidam Simon, quia antea fuerat in Civitate.* Syriacus: *Qui habitaverat in illa Vrbe multis temporibus*, Græcus: *Qui praextiterat*, ſuumque domicilium habebat in illa Civitate principali Samariæ. 42. Syriac. Græc.

Qui antea fuerat Magus, D. Chryſoſt. *Antea exercuerat artem Magicam*, Græcus: *Magica faciens opera, vel magicas præſtigias oſtentans* qua de cauſa ſubdit Textus: *Seducens gentem Samariæ*, Arabic. *Stupefaciens gentem Samariæ*, tamquam dementare, ac extra mentem, ac rationem facere gentem Samariæ, *Dicens ſe eſſe aliquem magnum*, Syriac. *Cum magnificaret ſe ipſum, diceretque ego ſum ille magnus.* Æthiopic. *Conſtituebat ſeipſum præceptorem, & ſapientem*, Origen. *Qui ſe prænunciabat eſſe Dei virtutem magnam.* De hoc Simone quæſt. ſeq. 43. D. Chryſoſt. Græcus. Arabic. Æthiop. Origen.

Verſ. 10. *Cui auſcultabant omnes à minimo uſque ad maximum.* Syrus: *Proinde inclinabantur ad eum tam proceres, quam tenues.* Æthiopicus: *A junioribus eorum ad grandævos eorum*, Goth. *Cui intendebant, omnes*, quem nempe omnes à minimo uſque ad maximum nullo excepto audiebant, credebant, & operam dabant omnibus, quæ ille dicebat, & mandabat. 44. Syriac. Æthiop. Goth.

Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna. Syriac. *Iſte eſt virtus illa magna Dei.* Arabic. *Hic eſt robur Dei maximum.* Caiet. *Hic eſt magna potentia.* Tigurina: *Iſte eſt potentia Dei illa magna.* Sic Simon eos dementabat, & ſeducebat, ut ſibi perſuaderent, ac dicerent, quòd ille erat virtus, ac potentia Dei, non qualiſcumque, ſed magna & maxima. 45. Syriac. Arabic. Caiet. Tigurin.

Verſ. 11. *Attendebant autem eum.* Syriac. *Acquieverant ei*, eum audientes, credentes, & operam dantes ejus dictis, mẽdacitas, ac perverſitas facile omnes ad ſe adducit, ac attrahit: *Magiis ſuis dementabat eos.* 46. Syriac.

Syriacus

Syriac. D. Chryſoſt. Syriacus: *magicis ſuis incantationibus obſtupefaceret eos.* D. Chryſoſt. *magicis ſuis artibus* dementaſſet eos, hoc eſt, mentes eorum à veritate alienaſſet.

47. Arabic. Verſ. 12. *Cum verò credidiſſent Philippo.* Arabicus: *Cum credidiſſent ſermonibus ejus.*; *In nomine Jeſu Chriſti baptizabantur.* Veræ fidei affectus oſtenditur in opere, baptizabantur baptiſmo inſtituto à Chriſto Domino, tamen in illis primis temporibus ad magis nomen Chriſti publicandum, ad majoremque illi benevolentiam, ac venerationem reconciliandam, baptiſmus dabatur forſitan ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jeſu Chriſti & Spiritus Sancti.* Vide quæ dixi ſupra cap. 2. ad verſ. 38. (*Baptiſmi forma.*)

48. Arabic. Verſ. 13. *Tunc Simon & ipſe credidit.* Arabicus: *Ipſe Simon credebat*, fictè, & ſimulatè, vel tantum fide humana, & naturali, ut Dæmones credunt, & contremiſcunt. Adhærebat Philippo, ut ejus ſocius aſſiduus, ne à ſuis diſcipulis credentibus Philippo fieret deſertus; tum *videns ſigna, & virtutes maximas fieri*, Pagninus: *Potentias maximas*, ut poteſtatem faciendi talia ſigna, miracula, ſanandi infirmos, ac loquendi variis linguis acciperet, ſicut videbat fieri à Philippo. *Stupens admirabatur.* Æthiopicus: *Miratus, & ſtupefactus.* (Pagnin. Æthiop.)

QUÆSTIO V.

Quare Simon magus tanta nequitia repletus extiterit, & quiſnam eſſet?

49. ECce primus Hæreſiarcha in Eccleſia Chriſti poſt ipſum Aſcenſum in Cœlum, caputque omnium Hæreticorum qui contra ipſam inſurrexerunt, & ideo à Sancto Ignatio epiſtol. ad Trallianos appellatur *Filius Primogenitus Satanæ*, & ideo à S. Clemente, Epiphanio, D. Auguſt. inter Hæreſiarchas in capite ponitur, & Satanas vocatur à Baronio Chriſti Simia; nam ſicut Chriſtus Simonem conſtituit caput, ac fundamentum ſuæ Eccleſiæ, ideoque eum nominavit Petrum; ſic & Diabolus primum ſuum Antagoniſtam oppoſuit Simonem magum omnium magicarum artium, ac falſitatum inventorem. (D. Ignat. D. Aug. *Prima hæreſis Eccleſiæ Simonis.*)

50. *Quis Simon.* Iſte Simon natus eſt in quodam vico, ſeu oppido, Provinciæ Samariæ Gitthon, unde ipſe Gitthæus, vel Citthæus cognominatus eſt, Patrem habuit Antonium nomine, & matrem Rachelem, ut teſtatur D. Clemens lib. 1. cap. 20. de eo ibi refert fuiſſe apprimè eruditum in litteris græcis, & in arte magica exercitatum valde. (Clemens)

51. Fuitque Simon ſuperbiſſimus, totiuſque vanitatis terminos excedens, ita ut diceretur, ut ait Textus in præſenti, *Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna*, ſeu ut Pagninus: *Iſte eſt potentia Dei magna*; Et tanta ſuperbia inflatus, ut in tantam blaſphemiam prorumperet, & diceret, ut ſcribit D. Hieronymus in cap. 24. Matth. *Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego paraclytus, ego omnipotens, ego omnia Dei*: & D. Auguſt. lib. de Hæreſibus cap. 1. ait de illo ſe dixiſſe *Chriſtum, & Iovem*, ut apud Judæos haberetur, ut Meſſias, & apud gentes, ut Deus ut ita ab utriſque eſſet habitus, ut Deus, & ſubdit D. Auguſt. *Et dixerat ſe in monte Sina legem Moyſi in Perſona Patris dediſſe Judæis*: Tempore Tiberii in Filii perſona putative apparuiſſe, poſtea ſe in linguis igneis Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos veniſſe; Chriſtum autem, nec veniſſe, nec à Judæis quicquam pertuliſſe. (Pagnin. D. Hier. D. Aug. *Simon ſe Deum dicebat.*)

52. Tertull. Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 4. ſic ait: *Simon Magus auſus eſt ſe dicere virtutem Dei*, id eſt ſummum Deum: *mundum autem ab Angelis ſuis inſtitutum.* D. Irenæus lib. 1. cap. 10. ſic inquit: *Hic*, nempe Simon magus, *à multis, quaſi Deus glorificatus eſt, & docuit ſemetipſum eſſe, qui inter Judæos quidem quaſi Filius Dei apparuit in Samaria, quaſi Pater deſcenderit; In reliquis vero gentibus, quaſi Spiritus Sanctus adventarit*, & in tantam venit dementiam, ut diceret ſe eſſe pluſquam Deum, Clemens Roman. lib. 2. Recognit. ſe etiam dicebat *eſſe excelſam virtutem ſupra Creatorem Deum.* (D. Iren. Clemens)

Unde huic miſero tanta dementia? Ex ſuperbia, qua erat inflatus, ut nollet Deo ſe ſubjicere, ſed extollere. Ingrediuntur Moyſes, & Aaron ad Pharaonem, eique dicunt, quod Dominus Deus Iſraël præcipit, ut eant via trium dierum ad ei ſacrificandum; quibus reſpondet Pharao: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael, neſcio Dominum.* Exod. 5. num. 2. ait: *Quis eſt Dominus?* tamquam ſi dicat nullus eſt Dominus, cui ego teneat obedire, & vocem ejus audire? Unde illi tanta inſipientia? Ipſa naturalis ratio dictat eſſe unum Deum ſuperiorem, ipſa naturæ viciſſitudo demonſtrat, ipſa totius Orbis diſpoſitio proclamat, imò ut ait Jacobus 1. *Dæmones credunt, & contremiſcunt*, credunt eſſe Deum, & ad ejus imperium pavent, & contremiſcunt. Pharao cum eſſet ſuperbia dementatus pejor Dæmone effectus Deum eſſe negat, & ei non eſſe ſubjectum, nec ejus vocem audire affirmat. Lyppomanus inquit: *Vide quo ſe extendat cæca ſuperbia, ut naturalem etiam rationem Deum eſſe nocentem obnubilet penitus, & extinguat? Eo enim uſque devenit impudens ſuperbia, ut quod Cœli enarrant, & ea, quæ facta videntur proclamant, nempe Dei gloriam, ipſa negare audeat.* 53. (Exod. 5. *Superbus ſtultus Deo injurioſus, & blaſphemus.* Iacob. 1. Lyppom.)

Adhuc in ipſo Pharaone perſiſto, poſtquam multis plagis eſſet jam verberatus, ingreſſi Moyſes, & Aaron dixerunt ei: Si *reſiſtis, & non vis dimittere populum, ego inducam cras locuſtam in fines tuos.* Exod. 10. num. 4. Qui autem reſiſtit, pugnat, exiſtimat ſe poſſe vincere, ac de adverſario triumphare. Quomodo talia potuerunt in mentem Pharaonis venire? cum ipſe eſſet tot, & tantis flagellis oppreſſus, peſte, grandine, ulceribus, & tenebris, cur non ſe ſubjicit, ac obedit Deo, & à ſua nequitia non quieſcit, ſed adhuc reſiſtit, adhuc pugnat cum Deo, ſeque de illo victorem promittit? Ecce in quantam ſtultitiam ſuperbia miſerum hominem præcipitat, ut velut indomita fera à nullo domari poſſet, ut ſic evaneſcat, ut contra Deum ſtare audeat, & cum illo certare contendat, ut eum ſibi ſubjectum facere præſumat. D. Ambroſ. epiſt. 84. ad Demetriadem, ait: *Inter omnes lapſus hominum, inter commiſſa peccantium, nulla eſt gravior, quam ſuperborum ruina, maxime cum ipſa elatio certet in Dei injuriam.* Expende ultima verba, certet in Dei injuriam. 54. (Exod. 10. *Superbus exiſtimat ſe cum Deo poſſe contendere.* D. Ambr.)

QUÆSTIO VI.

Quare Simon credit, & baptizatur, cum hoc non ex corde haberet?

AN verò Simon verè, vel fictè, ac ſimulatè credidiſſet? quæſtio eſt præſens, Caietanus rem indeterminatam relinquit: Beda, Gloſſa Ordinaria, Lyranus dubitant, an hoc ſaltem firma fide feciſſet? 55. (Cajet. Beda. Gloſſa. Lyranus.)

Communis, & vera ſententia eſt, quod non ex animo, ſed fictè, & ſimulatè crediderit, & baptizatus fuerit, ne à ſuis diſcipulis adhærentibus Philippo eſſet deſertus, & ut inter Domini diſcipulos computaretur. Adhærebat Philippo *videns ſigna*, 56. (*Simulatè & ficte agit Simon.*)